

significatur prius factum quod postea narratur, videlicet. & dedit Menachem Pul mille talenta argenti: ut essent manus eius cum eo ad firmādū regnum in manu eius. & sic rex Assyriorum venit in terram Israel in fauorem noui regis. Indixitque Menachem argentum super Israel, cunctis potentibus & diuitibus. Superfluit & diuitibus. ita quod Hebraicè nihil aliud habetur nisi, super Israel, super cunctos potentes fortitudinis. Et nisi appositiue legatur, indixit argentum & super populum & super principes exercitus, qui soliti erant lucrari. Nō desunt tamen qui dictionem interpretatam fortitudinis interpretantur substantiā, intelligendo per potentes substantiā homines diuites. ad dandum regi Assur quinquaginta siclos argenti per singulos. Hebraicè habetur, per virum vnum, proculdubio prædictorum potētum: hoc est vt vnusquisque eorum solueret quinquaginta siclos argenti. reuersusque est rex Assur, & non stetit ibi in Therza. Legendum est, in terra, subaudi Israel. & reliquum autem verborum Menachem & omnia quæ fecit: nōne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum regum Israel? Dormiuitque Menachem cum patribus suis: & regnauit Pecach'ia filius eius pro eo.

Anno quinquagesimo Hazar'ia regis Iehuda: regnauit Pecach'ia filius Menachem super Israel in Someron duobus annis. Fecitque malum in oculis domini: nō declinauit à peccatis Iarobhā filij Nebat qui peccare fecit Israel. Coniurauit autem cōtra eum Phacee filius Remal'iahu dux eius. Pertransio corrupta vocabula nominū propriorū: hic enim appellatur Pecach, sed iam consueuimus ipsum appellare Phacee. & percussit eum in Someron in turre domus regia. Appellatā turrim aiunt sonare palatium: in proprio enim palatio occisus narratur. iuxta Argob & iuxta Ariph. Hebraicè habetur, cum Argob & cum Ar'ie. Nomina propria virorum existētium cum rege & percussorum cū eo sunt. & cum eo quinquaginta viros. Legendū est. & cū eo quinquaginta viri de filiis Ghilhaditarū. prius enim descripsit socios regis & postea socios interfectoris. Hæc tamen non vt omnino assera accipe: posūt enim hæc aliter & legi & intelligi quo ad cōpercussores & cōpercussos. Interfecitque eū et regnauit pro eo. Reliquū autem verborū Pecach'ia & omnia quæ fecit: nōne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum regum Israel?

Anno quinquagesimo secundo Hazar'ie regis Iehuda: regnauit Pecach'ia filius Remal'iahu super Israel in Somerō viginti annis.

nis. Fecitque malum in oculis domini: non declinauit à peccatis Iarobham filij Nebat, qui peccare fecit Israel. In diebus Pecach regis Israel, venit Thig'lah' pil' eser rex Assur & cepit H'ion & Abel' bethmahacham & Ianoach & Cedec & Chazor & Ghilhad & Ghililam, totam terram Naphthali: & transtulit eos in Assur. Ita fuit prima captiuitas Israelis in Assyrios, quam oportet annotare pro intelligentia scripturarū: ex hac enim captiuitate nunquam redierit. Coniurauit autem & tetendit insidias. Iuxta Hebræum habetur. Et cōiurauit coniuratione. gaudet enim hebraica lingua hoc loquēdi modo. Hoseah filius Ele contra Pecach filij Remal'iahu, & percussit eū & interfecit eum, & regnauit pro eo: anno vigesimo Iotham filij Huzar'ia. Qui hæcenus vocatus est Hazarias, modo vocatur Huzias. Vigestimū autem annū annotabis propter subiuncta: videlicet q̄ iste Iothā regnauit anno secūdo Phacee & sedecim annis regnauit. Hinc enim quæstio oritur: quia secundū hæc subiuncta, Iothā non peruenit ad vltimū annū Phacee, sed ad decimumseptimū illius annū duntaxat: quomodo ergo verificatur q̄ vigesimo anno ipsius Iothā regnauerit Hoseas interfector & succesor Phacee. Et aduerte q̄ est hic duplex difficultas. altera verificandi annū vigesimū Iothā, cum inferius scribantur tantum sedecim. altera verificandi q̄ Iotham superstes fuerit Phacee. Solutio primæ difficultatis facilis est, distinguēdo de annis quibus regnauit post mortem patris (isti enim dicūtur sedecim) & de annis quibus regnauit supputato tēpore quo regnauit cum patre leproso. sed altera difficultas ex hoc non soluitur, quoniā à secūdo anno Phacee quo mortuus est Huzias pater Iotham supputando annos sedecim, nō peruenitur ad vigesimū annū regni Phacee: ac per hoc non verificatur q̄ Iotham viuis fuerit post mortem Phacee, incipiente regnare Hosea. Restat ergo intelligendum per hæc omnia scripta simul iuncta, quod Hoseas cōperit regnare viuēte Phacee. ita q̄ etiam viuente Phacee regnum eius supputatur: & dicitur, quod regnauit vigesimo anno Iotham ab initio quo correignauit patri. & quia nescim⁹ quot annis correignauerit patri, incertum remanet tempus quo Hoseas incepit regnare regnante quoq; Phacee: nescimus quoq; quotus annus illorum sedecim Iotham fuerit iste vigesimus. & cum istis omnibus falsum supponitur, videlicet q̄ Iotham superstes fuerit Phacee: contrariū enim verū fuisse patet in sequēti capitulo.

Vigesimus itaque iste annus Iotham nihil habet certi, nisi quod erat vigesimus a lepra Huzia: ex tunc enim Iotham inchoavit regium officium. Reliquum autem verborum Pecach & omnia quae fecit: ecce ipsa scripta sunt in libro verborum dierum regum Israel.

Anno secundo Pecach filii Remal' iahu regis Israel: regnavit Iotham filius Huzi' iahu regis Iehuda. Filius viginquing; annorum erat cum regnare cepit, & sedecim annis regnavit in Ierusalaim: & nomen matris eius Ierusa filia Zadoc. Fecitque rectum in oculis domini, iuxta omnia quae fecit Huzi' iahu pater eius, fecit. Intellege non quo ad bonum & malum, sed duntaxat quo ad bonum. Veruntamen excelsa non abstulerunt, adhuc populus immolabat & thurificabat in excelsis. Ab integritate perfectae reformationis temporis Iotham excipitur quod excelsa non abstulerunt, in quibus tamen vero Deo sacrificabatur. ipse adificavit portam domus domini sublimissimam. Hebraice habet excelsam. Insignis porta significatur. Reliquum autem verborum Iotham & omnia quae fecit: nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum regum Iehuda?

In diebus illis cepit dominus mittere in Iehudam Rex in regem Syriae: & Pecach filium Remal' iahu. An demonstrantur dies Iotham an dies filij eius, non est usquequaque clarum: quia tamen litera sonat tempus Iotham, ponderandum est verbum cepit mittere, ut intelligamus quod non misit sed cepit mittere. Ita quod initium ventendi ad bellum aduersus Iudam fuerit tempore Iotham, executio autem tempore filij: ut in sequenti subiungitur capitulo. disposuerunt enim hi duo reges Rezin & Phacee pugnare contra Iudam vivente Iotham, venerit autem ipso mortuo tempore Achaz filij eius. Et nota quod quemadmodum superius in ca. 10. scriptum est quod cepit dominus excidere Israel, ita modo dicitur quod cepit dominus punire Iudam: utrunque enim regnum pollutum erat multa idolatria. Et initia punitionis utriusque scripta sunt ad manifestum nobis quod Deus pedetentim processit puniendo usque ad eiectionem utriusque ex terra promissionis. Dormiuitque Iotham cum patribus suis, sepultusque est cum eis in civitate David patris sui: & regnavit Acham filius eius pro eo.



ANNO decimo septimo Pecach filii Remal' iahu: regnavit Acham filius Iotham regis Iehuda. Et hinc & ex subiuncto bello Phacee contra Acham, clare patet quod

quod Iotham pater Acham mortuus est vivente & regnante Phacee rege Israel: ac per hoc ut diximus Holiā corregnasse ipsi Phacee. Filius viginti annorum erat Acham cum regnare cepit, & sedecim annis regnavit in Ierusalaim: & non fecit rectum in oculis domini Dei sui sicut David pater eius. Sed ambulavit in viis regum Israel, hoc est idolatriam sectando. insuper & filium suum consecravit transferens per ignem. Iuxta Hebr. habetur. & etiam filium suum fecit transire in igne. Non significatur occisio sed transitus filij per ignem. carimonia idolatriae erat, secundum idola gentium quae dissipavit dominus. Hebraice habetur, sicut abominationes gentium quas expulsi dominus a facie filiorum Israel. Hinc clare patet ad idolatriam cultum spectasse transitum filij per ignem. Immolabat quoque & thurificabat in excelsis & super colles: & sub omni arbore frondosa. Ex eo quod non dicitur (quemadmodum scriptum est de tempore aliorum regum) quod excelsa non abstulerunt, sed dicitur quod immolabat in excelsis &c. insinuat quod promiscue quibuscunque diis in locis nominatis sacrificabat.

Tunc ascendit Rex in rex Syriae & Pecach filius Remal' iahu rex Israel in Ierusalaim ab bellum. Significanter scribitur tunc, ad insinuandum hanc esse executionem divinae missionis scriptae in calce capituli praecedentis. obsederuntque Acham, & non valuerunt superare eum. quo ad expugnationem civitatis Ierusalem. nam praevulnerunt quo ad alia multa & magna valde, quae hic tacentur sed scribuntur in 2. paralipo. cap. 28.

In tempore illo restituit Rex in rex Syriae Elath Syriae, & cecit Iehudaos de Elath. Pars victoriae regis Syriae scribitur. & Idumaei & Syri. Iuxta Hebraeum habetur. & Aromim venerunt in Elath & habitaverunt ibi usque ad diem hanc. Aromim est nomen nationis eorum qui venerunt ad habitandum in Elath.

Misit autem Acham nuncios ad Thig' lath Peleser regem Assur dicendo: servus tuus & filius tuus sum, ascende & saluum me fac de manu regis Syriae & de manu regis Israel qui surrexerunt aduersum me. Tulitque Acham argentum & aurum quod inuentum est in domo domini & in thesauris domus regis: & misit regi Assur munus. Omittitur hic multa quae passus est Acham a rege Israel & a rege Syriae, relata in paralipomenis. ommittitur quoque divina missio Esaiae prophetae ad Acham, scripta Esaiae cap. 7. Et exaudiuit eum rex Assur: ascenditque rex Assur in Damascum & vastavit eam. Iuxta Hebraeum habetur. & cepit eam. nihilque dicitur

dicitur de destructione ciuitatis. & *transtulit habitatores eius Cirenem.* Iuxta Hebræum habetur. *ad Cir.* Nomē est regionis. & *Rex in interfecit.*

Perrexitq; rex Acham in occursum Thig' lath' pil' eser regis Assur. Tacentur hic gesta à rege Assyriorū aduersus regem Israel: nam ab utroque liberari petierat Acham. in Damasco. Hinc patet q; post victoriam regis Assyriorū iuit Acham obuiam regi Assyriorum. viditq; altare quod erat in Damasco. & misit rex Acham ad Vri' iam sacerdotem exemplar altaris & similitudinem iuxta omne opus eius. Legē dum esset. similitudinē altaris & figuram eius ad omne opus eius. exacte enim retraxit similitudinem altaris secundum materiam, qualitatem, quātitatem & celaturas. Extruxitq; Vri' ia sacerdos altare: iuxta omnia quae miserat rex Acham de Damasco, sic fecit Vri' ia sacerdos donec venit rex Acham de Damasco.

Cūque venisset rex de Damasco, vidit altare: & veneratus est illud. Iuxta Hebræum habetur. & *appropinquauit rex super altare.* & *ascendit super illud.* Hæc verba aliud significant secundum se & aliud secundum appropriationem. nam appropriātur ad significandum actiones cultus, videlicet offerre & immolare super altare in genere: deinde in specie subditur. *Et immolauit holocausta & sacrificium suum.* Iuxta Hebræum habetur. *Et suffiuit holocaustum suum & munus suum.* Ita tamen vt per suffire intelligas instar thuris cremare. & *libauit libamen suum:* & *asperxit sanguinem pacificorum quae erant ei super altare.* Porro altare æreum quod erat coram domino. quod fecerat Salomon. *transtulit de facie templi & de loco altaris & de loco templi domini.* Iuxta Hebræum habetur. *fecit appropinquare à cum facie domus ab inter altare & ab inter domum Iehouah.* Insinuatur quo. alterū quodd altare nouum ad instar altaris Damasceni constructum fuerat à summo sacerdote absque destructione altaris ærei facti à Salomone: constructū autem fuerat in loco ante altare æreum versus populū, ita quodd altare Salomonis remanserat medium inter altare nouum & domum Dei. Alterum quodd ex hoc loco medio iussit Acham rex amoueri altare Salomonis, quod dicitur æreum: ad insinuandum quodd hoc altare nouum nō erat æreum, sed lapideum ex lapide scoto, contra diuinam legem, *posuitq; illud ex latere altaris.* Hebraice habetur. *super coxā altaris.* Proculdubio noui. ad Aquilone. vt intelligamus quodd nec collaterale posuit illud, sed in parte

parte inferiore. Præcepit quoq; rex Acham Vri' ia sacerdoti dicens: *super altare maius.* Iuxta Hebræum habetur. *super altare magnū suffi holocaustum matutinū & munus vespertinum.* & *holocaustum regis & munus eius.* & *holocaustū totius populi terra & munus eorum & libamina eorum.* & *omnem sanguinem holocausti & omnem sanguinem sacrificij super illud asperges: altare vero æreū erit ad requisitionem meam.* Et hinc insinuatur quodd altare nouum erat altare maius altari æreo: mandaturque sacerdoti vt vtatur altari nouo, & pro derelicto habeat altare æreum. Fecitque Vri' ia sacerdos iuxta omnia quae præceperat rex Acham.

Tulit autem rex Acham calatas bases. Hebraicē habetur. *Et incidit rex Acham clausuras basium.* Vt penitus destrueret ordinem diuini cultus à lege & patribus sancitum, non abstulit sed præcidit bases æreas constructas à Salomone ibidem. *Interem quis erat desuper.* Iuxta Hebræum habetur. & *abstulit desuper eas & concham.* Ordine præpostero narratur, ablata vniuersa quae erant super basem vsque ad concham inclusiue fuisse, & abscissas clausuras earum. & *mare deponi fecit de bobus æreis qui erant sub eo:* & *posuit ipsum super pavementum lapideum.* Musach quoque sabbati quod edificauerat in templo & ingressum regis exterius, conuertit in templum domini: propter regem Assyriorum. Iuxta Hebræum habetur. *Et tectum sabbati quod edificauerunt in domo & ingressum regis fori,* fecit circū dare domum Iehouah: à facie regis Assur. Hæc vltima particula (videlicet à facie regis Assur) refertur ad omnia antecedentia. redditur. n. ratio quare Achā abstulit altare æreū & destruxit bases & c. videlicet timore regis Assyriorū ne ab eo discreparet in religionis cultu. Exosus. n. erat regi Assyriorū cultus diuinus secundū legē Moysi: propter quod etiā vt paralipomena testatur. clausit Achā ianuas tēpli facti à Salomone. inter alia autē exosa regi Assyriorū insinuatur hoc: videlicet q; extra templum ante faciem ipsius tēpli immolabatur sacrificia secundū legem Moysi: ethnici enim in templis deorum suorū immolabāt. & ppter ea Achā spatium ambiēs, altare nouū & locū in quo manebat rex ingressus ad sacrificia & locū tectum pro sabbatis, quae loca erāt foris (hoc est extra tēplū) redegit in tēplū Iehouah: vt sacrificia immolaretur intra tēplū more Ethnicorū & rex & illi qui soliti erāt manere sub tecto, intra tēplū essent. Hic est sensus literalis huius partis. Tectū autē sabbati an fuerit p optimatib' & sacerdotibus maiori frequentia concurrentibus

concurrentibus sabbato, vel etiam pro populo ad protegendum à pluuia sabbatis quando concursus erat populi & deuotatum præcipue personarum, incertum est.

Reliquum autem verborum Achaz quæ fecit: nōme ipsa scripta sunt in libro verborum dierum regum Iehudæ? Dormiuitq; Achaz cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid. In ambitu Sion sepultus hic scribitur, qui in paralipomenis negatur sepultus in sepulchris regum: quia quanuis exclusus fuerit à cœmiterio regum, non tamen fuit exclusus ab ambitu montis Sion. & regnauit Chizei iahu filius eius pro eo.

CAPVT XVII.



Nno duodecimo Achaz regis Iehudæ regnauit Hofeah filius Ela in Someron super Iſrael nouem annis. Quæſtio ſtatim oritur quomodo verſificatur hoc: cum ſuperius in cap. 15. ſcriptum ſit quod iſte Hofeah regnauit anno vigeſimo Iotham qui fuit pater Achaz. Solutio eſt quod duo initia regni Hofeæ ſcribuntur. alterum quo inchoauit regnare viuente Phacee rege etiam Iſrael: & hoc ſcriptum eſt capite. 15. alterum quo cœpit regnare ſolus: & hoc ſcribitur hic. Et quoniã à morte Phacee vſq; ad duodecimũ annum Achaz fluxerũt octo anni (vt patet ſupputanti) inſinuatur ex iſtis annis ſcriptis quod regnum Iſrael vacauit annis octo, ita quod ſedes regia fuit ſine rege, ita quod interruptum fuit regnum Hofeæ inchoatum tempore Phacee. Quare autem, non eſt ſcriptum, conſicere tamen poſſumus quod rex Aſſyriorum audita coniuratione Hofeæ contra Phacee & quod interfecerit eum, perſecutus fuerit Hofeam: ac per hoc interruptum fuerit regnum Hofeæ & non inceperit regnare ſolus anno quarto ſeu quinto Achaz regis Iudæ: poſtea autem mortuo Thiglathphalaſar rege Aſſyriorum Hofeas aſſumpſerit regnum anno duodecimo Achaz. Fecitq; malum in oculis domini: veruntamen non ſicut reges Iſrael qui fuerunt ante eum. Minus malum feciſſe hunc regem, ſed quid fuerit illud minus malum non ſcribitur.

Contra eum aſcendit Salman'eſer rex Aſſur. Mortuo itaque Thiglathphalaſar perſecutore Hofeæ, cum Hofeas regnare cœpiſſet, Salman'eſer rex Aſſyriorum aſcendit contra Hofeam. & factus eſt ei Hofeah ſeruus. Submitit collum iugo Hofeas, impar regi Aſſyriorum, reddebátque ei tributa. Iuxta Hebræum habetur, *munus*. proculdubio tributarium; deſcribitur enim

enim per hoc qualitas ſeruitutis. Cũque deprehendiſſet rex Aſſyriorum Hofeæ quod rebellare nitens miſſiſſet nuncios ad Soa regem Aegypti, vt præſtaret tributa regi Aſſyriorum, ſicut ſingulis annis ſolitus erat. Iuxta Hebræum habetur. Et inuenit rex Aſſur in Hofeah coniuratione qua miſit nuncios ad Soa regem Aegypti, & non fecit aſcendere manus regi Aſſur annuatim. Non temere, ſed inuenta coniuratione, compertis nunciis ad regem Aegypti & experta non redditione tributi motus rex Aſſyriorum ſignificatur. cõiurationem autem intellige ad rebellionem à rege Aſſyriorum. obſedit eum, & vinculum miſit in carcerem. Iuxta Hebræum habetur. & ſtrinxit eum rex Aſſur, & vinxit eum in domo carceris. Quod vltimò factum eſt, prius narratur: & poſtea more ſolito narratur modus quo res hæc facta eſt. Peruagatusque eſt omnem terram. Iuxta Hebræum habetur. Et aſcendit rex Aſſur in omnem terram, proculdubio regni Iſrael. aſcenditque in Someron, & obſedit eam tribus annis. Ecce modus quo ſtrinxit regem ac vinxit eum: longa enim obſidione cepit tandem Samariam cum rege. Anno autem nono Hofeah cepit rex Aſſur Someron, & tranſtulit Iſrael in Aſſur. Hæc fuit vltima captiuitas ac deſolatio Iſraelis, à qua nunquã redierunt. & habitare fecit eos in Chalach & in Chabor ſtumine Ghozan, in ciuitatibus Medorũ. Deſicit coniunctio: legendũ eſt. & in ciuitatibus Madai. Tria loca narrantur (videlicet Chalach Chabor iuxta ſumẽ Ghozan & ciuitates Medorũ) deputata pro habitatione Iſraelitarum. Et hinc apparet fabellas eſſe quæ dicuntur de clauſis Iſraelitis iſtis: ciuitates enim Medorum nō ſunt obſtruſæ, ſed omnibus peruia. Quocirca Iſraelitæ ex locis illis diſperſi ſpõie ſunt per varias mũdi partes in hodiernum vſque diem. magnam tamen partem eorum ibidem adhuc manere rationi conſentaneum eſt: eo quod multi ibidem nati, ex incolis effecti ſunt ciues.

Factũque eſt cum peccaſſent filii Iſrael domino deo ſuo qui eduxerat eos de terra Aegypti, de ſub manu Pharaonis regis Aegypti. Ratio redditur eiectionis Iſraelis ex terra promiſſionis, tum ex peccato aduertus ſummum Deum iudicem & gubernatorem eorũ: tum ex ingratitude aduerſus eundẽ educitorem eorum de ſeruitute Pharaonis: tum ex timore aliorum deorum: tum ex declinatione in præcepta ethnicorum ad colendum eorum deos, ethnicorum autem propter huiusmodi abominationes conſumptorum à Deo coram Iſraeli-

tis: tum ex obseruatione decretorum per reges Israel de cultu vitulorum &c. Dixi ex timore: quia vbi vulgata æditio habet. *coluerunt deos alienos.* hebraicè dicitur. *& timuerunt E-
lohim alios.* Internus enim actus timoris prius culpator, & deinde exterior cultus: simulque narratur quod non solum exteriori cultu, sed etiam animo coluerunt alios deos. timor enim internus actus est. *Et ambulauerunt in statutis gentium quas eiecerat dominus à facie filiorum Israel: & regum Israel, quia similiter fecerunt.* Hebraicè habetur. *quæ fecerunt.* narratur enim quòd filii ambulauerunt in præceptis non solù ethnicorum, sed etiam quæ fecerunt reges Israel, Ieroboham & Acham &c. *Et irritauerunt filii Israel verbis nò rectis domini Deum suum.* Iuxta Hebræum habetur. *Et texerunt filii Israel verba quæ non recta super Iehouah Eloha suum.* Quo colore, quo pallio vsi fuerint filii Israel ad tegendum verba seu facta super Iehouah Eloha eorù, nescitur: scriptura de hoc peccato nihil aliud tradit nisi quod palliatis verbis vel factis aduersus Deum vsi sunt. *& edificauerunt sibi excelsa in omnibus ciuitatibus suis, à turre custodum.* in qua soli custodes morantur. *vsque ad ciuitatem munitam.* vniuersa siquidem loca habitata cõprehenduntur à turri in qua solus custos habitat, vsque ad ciuitatem munitam in qua frequentia magna est hominum. *Statueruntque sibi statuas & lucos: super omnem collem sublimè & sub omni arbore frondosa.* Et thurificauerunt ibi in omnibus excelsis, sicut gentes quas transfulerat dominus à facie eorù: *& fecerunt verba pessima irritantes dominum.* Res malæ significantur: earent enim superlatiuo hebræi. *Et coluerunt idola: de quibus dixerat dominus eis, non facietis rem hanc.* Et contestatus est dominus in Israel & in Iehuda. Exaggeratur peccatum Israelis tum ex diuina inhibitione, tum ex destinatione prophetarù monentium eos: *per manum omnium prophetarum, omnium videntium dicendo: reuertimini à viis vestris malis & custodite præcepta mea & statuta mea, iuxta omnem legem quam præcepi patribus vestris, & quæ misi ad vos in manu seruatorum meorum prophetarum.* Et non audierunt: *induraueruntq; ceruicem suam, iuxta ceruicem patrum suorum qui non crediderunt domino Deo suo.* Quanuis in libro primo inter videntem & prophetam nulla fiat differentia, hic tamen differentia insinuat. & propheta quidem appellantur ab officio illi qui profitebantur officium vacandi diuinis laudibus & monendi alios ad diuina tanquam nuncii Dei: viden-
tes

tes verò illi qui absque huiusmodi officii professione visiones diuinarum habebant reuelationum. & per vtrosque moniti, in sua perseuerauerunt obstinatione. *Et contempserunt statuta eius & pactum eius quod pepigit cum patribus eorum, & cõtestationes eius quibus contestatus est eis: ambulaueruntque post vanitates & vane egerunt, & post gentes quæ erant per circuitum eorum de quibus præceperat dominus vt non facerent sicut illa.* De reliqueruntque omnia præcepta domini Dei sui, & fecerunt sibi cõstatile, duos vitulos: feceruntque lucum & adorauerunt vniuersam militiam celi. Hebraicè habetur. *vniuersum exercitum calorum.* tolem videlicet & lunam & stellas. appellantur enim exercitus, quia Moses in principio generis sic appellauerat. *& seruiuerunt Bahali.* Et consecrauerunt ei. Legendum est. *Et fecerunt transire filios suos & filias suas per ignem.* proculdubio superstitiose, ad consecrandum (vt creditur) prolem alicui opinato Deo: qui forte erat ignis ipse, ex quo putabant constare solem & lunam & stellas. *& inseruierunt diuinationibus & auguriis.* Iuxta Hebræum habetur. *& incantationibus.* Per hæc tamen duo, diuinationes & incantationes, intellige & id genus reliqua. *& tradiderunt se.* Iuxta Hebræum habetur. *& vendiderunt se ad faciendum malum in oculis domini irritando eum.* hoc est ad instar vendentium se, redegerunt se in seruitutem faciendi malum.

Iratusq; est dominus valde contra Israel, & remouit eos à facie sua: non remansit nisi tribus Iehuda sola. Etiam Iehuda nò custodiuit præcepta domini Dei sui: veruntamen ambulauit in erroribus Israel quos operatus fuerat. Iuxta Hebræum habetur. *& iuerunt in statutis Israelis quæ fecerunt.* hoc est imitati sunt regnum Israelis in decretis non quæ fecit deus, sed quæ fecerunt ipsi reges Israel. *Proiecitque dominus.* Iuxta Hebræum habetur. *Et abominatus est dominus omne semen Israel.* peccatis eorum hoc exigentibus instar abominantis tractauit deus eos. *& affixit eos, & tradidit eos in manum diripiètiæ: donec proiceret eos à facie sua.* Ex eo iam tempore. Interpretes addidit has quatuor vltimas dictiones: nam hebraicè habetur. *Quia seidit Israel à domo David, & regem constituerunt Iarobham filium Nebat: separauitque Iarobham Israel à domino, & peccare fecit eos peccato magno.* Et ambulauerunt filii Israel in omnibus peccatis Iarobham quæ fecit, non receperunt ab eis. Vsquequo amouit dominus Israel em à facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium seruatorum suorum prophetarum

phetarum: & transtulit Israelē à terra sua in Assur usque ad diem hanc. Aduerte quòd quanuis scissio decem tribuum à domo Dauidis relata ad Dei ordinationem iusta fuerit, ppter peccata Salomonis, & diuina facta voluntate vt in tertio libro scriptū est, relata tamen ad ipsos scissores vnitatis populi Israel culpatur hic, præcipue propter recessum à cultu vnus summi Dei, propter recessum à lege Mosis statuente vnū locum diuini cultus cōmunem omnibus Israelitis. Repetuntur autem hæc ad manifestandam diuinam patientiā tāto tempore. Vbi aduerte prudens lector quòd hoc in loco redditur causa demeritoria eiectionis Israelis, causa autem finalis taceatur: & fuit vt Israel dispersus in orbem terrarū, testis esset mūdo vnusquoque de aduentu Mesie per prophetas promissi à Deo. Nisi enim Iudæi per mundum sparsi fuissent tempore apostolicæ prædicationis contestantes se expectare Mesiam, crēditum fuisset tanquam figmentum euangelium Christi, & similiter nisi perseverarent Iudæi sparsi in mundo contestātes se expectare Mesiam testesq; sacrorum librorum veteris testamenti, putaretur Christianorum adinuentioe euangelizari vtrūque Mesie aduentum & fictos esse sacros veteris testamenti libros: sed Iudæis ipsis inimicis Christiani nominis perseverantibus inter nos tum expectādo Mesiam tum profitendo solos canonicos libros veteris testamēti, quos nos vt canonicos profitemur, habemus iuge testimonium nostræ fidei ab hostibus.

A Duxit autem rex Assur viros de Babel & de Chutha & de Hauua & de Chamath & Sephar uaim, & habitare fecit in ciuitatibus Somecon pro filiis Israel: hereditauerūtq; Somecon, et habitauerunt in ciuitatibus eius. Nomen Samariæ quanuis sit nomen vrbis vnus, quia tamen erat caput regni, omnes ciuitates regni appellantur ciuitates Samariæ: hoc est regni Samariæ. Et fuit in initio habitationis eorum ibi, non timuerunt dominum: immisitq; eis dominus leones qui interficiebant eos. Nunciatioque est regi Assur dicendo: gentes quas transtulisti & habitare fecisti in ciuitatibus Somecon ignorant ritum Dei terra, & misit in eos leones, & ecce ipsi interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terra. Præcepit autem rex Assur dicendo: ducite illuc vnum de sacerdotibus quos transtulisti inde, & vadat & habitet ibi, & doceat eos ritum Dei terra. Stultitia ethnicorum narratur, in hoc quod putabant proprios deos diuersarum terrarum: & Deum qui

colebatur

colebatur ab Israele, putabant Deum terræ illius. Venitq; vnus de sacerdotibus qui translati erant de Somecon, & habitauit in Beth-el: & docebat eos quomodo colerent dominū. Iuxta Hebræum habetur, quomodo timebunt Ichouah. Modum timendi summum Deum docti à sacerdote narrantur. Et fecit vnaquaque gens Deum suum: posueruntque in domo excelsorum que fecerat Someconite, vnaquaque gens in ciuitatibus suis in quibus habitabat. Et viri Babel fecerunt Succoth Benoth, et viri Chuth fecerunt Nergal: viri autem Chamath fecerunt Asimam. Porro Hauui fecerunt Nibcham & Tharthac: Sepharuaim autem comburebāt filios suos igni. Ad ramelech & Hanamelech dūs Sepharuaim. Et nihilominus colebant dominum. Iuxta Hebræum habetur. Et fuerunt timentes Ichouah. Sacerdos quidem docuit modum timendi summum Deum, sed ipsi timuerunt quidem summum Deum, sed non eo modo quòd debebant timere; nam sic timebant summum Deum vt etiam colerent alios Deos, feceruntq; sibi de nouissimis sacerdotes excelsorum. Potest significari vel vt vulgata habet editio, viles personas electas in sacerdotes, velex partē (hoc est ex quibusdā) eorū electos fuisse sacerdotes. Et vtroq; modo significatur quod nō de tribu Leuitica fuerunt sacerdotes. & ponebant eos in phanis sublimitibus. Iuxta Hebræum habetur. & fuerunt facientes eis in domo excelsorum. Pronomen eis, tam summum Deum, quā deos alios istorum demonstrat: nam facere sacrum, intelligimus significari. Et cū dominū colerent, Hebræicè habetur, timere, non amarent, dūs quoque sui seruiebant iuxta consuetudinem gentiū de quibus translati fuerāt.

Vsque in hunc diem ipsi faciunt iuxta consuetudines primas: ipsi non timent dominum. Non est contrarius sibi ipsi author libri, qui pluries dixit de istis quòd timēt dominum: quoniam affirmavit timorem seruilem & particularem (videlicet quòd ad aliquid, puta offerendum sacrificia summo Deo & huiusmodi) negat autem timorem filialem & vniuersalem: & propterea manifestat negationem ex non obseruatione legis diuinæ, neque custodiant cærimonias eius atque iudicia. Sentus recte redditur: quanuis hebraicè pronome sit numeri pluralis, neque faciunt iuxta statuta sua & iuxta iudicia sua, & iuxta legem, & iuxta mandatum quod præceperat dominus filiis Iacob; cui imposuit nomen Israel. Et statuta quidem ad cærimonialia, iudicia vero ad iudicialia, lex autē ad moralia sparsa per legem scriptam à Mose, mandatum denique ad ea que deus

Rt ore

ore proprio promulgavit, audiente populo, & scripsit digito proprio refertur: ut testatur istorum subiuncta repetitio. Et percussit dominus cum eis fœdus, & præceperat eis dicendo: non timeatis deos alienos, & non adoretis eos, nec colatis eos nec immoletis eis. Sed dominum qui ascendere fecit vos de terra Aegypti in fortitudine magna & in brachio extento, ipsum timeate: illumque adorare, & ei sacrificare, Et statuta, & iudicia, & legem, & mandatum quod scripsit vobis custodite, ut faciatis cunctis diebus: & nō timeatis deos alienos. Et fœdus quod percussit vobiscum non obliuiscamini: & non timeatis deos alienos. Sed dominum Deum vestrum timeate: & ipse liberabit vos de manu omnium inimicorū vestrorum. sunt enim verba Dei de seipso in tertia persona. Illi vero non audierunt: sed iuxta consuetudinem suam primam faciunt. Iuxta planum literæ contextum pronomen illi demonstrat incolas Samariæ: qui auditis recitatis præceptis Dei quæ dederat filiis Iacob nominati Israel, noluerunt parere, sed secundum pristinas traditiones & consuetudines suas operati sunt. Fuerunt igitur gentes istæ timentes dominum & idolis suis seruientes: etiam filii eorum, & filii filiorum eorum secundum quod fecerit patres eorum ipsi faciunt vsque in presentem diem. Post manifestationem quod incolæ Samariæ non habent filialem & integrum Dei timorē, concluditur quod partim timent summum Deum & partim deos suos.

CAPVT XVIII.

IN anno autē tertio Hoseah filii Ele regis Israel: regnavit Chizcīa filius Achā regis Iehudæ. Filius viginti-quinque annorum erat cum regnare cepit, & vigintinovem annis regnavit in Ierusalaim. Admirandum valde naturæ opus narratur: videlicet quod Acham pater Ezechie, vndecimo anno ætatis suæ genuit Ezechiam, nam in principio sextidecimi capituli narratur Acham vixisse triginta & sex annos: & hic scribitur Ezechiam filium eius vigesimum quintum annum egisse cū successit patri in regno. & nomen matris eius Abi filia Zechar' iæ. Fecitque rectum in oculis dominis: iuxta omnia quæ fecerat Danid pater eius. Ipse remouit ex celsa, tam in quibus sacrificabatur summo Deo, quam in quibus sacrificabatur aliis diis. & contriuit statuas, proculdubio idolorum, & succidit lycū, similiter idolorum, confregitque serpentem æneum. Parui refert q̄ hebraicè significatur cōtusio serpentis ænei, tundēdo enim, formā serpentis abstulit, & in ænū dūm

dum redegit, quæ fecerat Moses. Lege cap. 21. numeri: & inuenies causam & fabricā huius serpentis, quia vsque ad illud tempus. Perseuerantia describitur huius abusionis vsque ad tēpus Ezechie ad manifestandum magnanimitatē Ezechie ad exterminandum etiam toleratas superstitiones tanto tempore. filii Israel adolebant ei incensum. Venerabatur serpentem illum thurificantes illi ratione recepti beneficii, non adorando illum ut Deum, sed honorando ut beneficium signū datum à Deo, quæ veneratio superstitiosa erat, utpote præter legē diuinam: & propterea Ezechias abstulit illā tundendo serpentem, vocauitq; cū Noesthan. Aiunt legēdū esse. Nechusthan. hoc est ænolū eorū. Declarauit hoc nomine modicū aris veneratum fuisse ab eis, ne putarēt numinis aliquid in serpente illo fuisse. Totum itaq; nominauit à materia (& hoc diminutiue) dicendo ænulus: in contemptū siquidē vsus est diminutiuo. In domino Deo Israel sperauit: & post eū non fuit sicut ipse in omnibus regibus Iehudæ, & qui fuerūt ante eū. Præfert Ezechias tam prioribus quā posterioribus regibus Iudæ in huiusmodi actionibꝫ, & merito: quia nec Dauid abstulit excelsa aut abstulit serpentem æneum, nec vlli posteriorum reseruatæ sunt actiones istæ: sed ipse Ezechias primus hæc fecit, exemplum se præbens posterioribus: & propterea merito præfertur etiā Iosifæ posteriori. Adhæsitq; domino, & non declinauit ab eo: custodiuitq; præcepta eius quæ præceperat dominus Mosi. Et fuit dominus cū eo, in omnibus ad quæ processit prosperatus est: rebellauitque contra regem Assur, & non seruiuit ei. Quia Acham pater eius dederat se regi Assyriorū (vt in ca. 16. scriptum est) ideo Ezechias dicitur rebellasse à rege Assyriorum, nolens seruire ei quemadmodum seruierat ei pater ipfius. Ipse percussit Pelisihæos vsque ad Haxxam & terminos eius: à turre custodum vsque ad ciuitatem munitam. Omnia loca habitata comprehenduntur: vt etiam superius diximus.

Anno quarto regis Chizcī iahu (qui erat annus septimus Hoseah filii Ele regis Israel) ascendit Salman' eser rex Assur contra Someron, & obsedit eam. Ceperuntque eā in fine trium annorum: in anno sexto Chizcī iahu (qui erat nonus annus Hoseah regis Israel) capta est Someron. In præcedenti capitulo narrata est captio Samariæ: hic autem narratur quoto anno obsessa est, & quoto capta. Et transtulit rex Assur Israelē in Assur: collocauitq; eos in Chalach & in Chabor fluminis Ghōzan. Iuxta Hebræū habet.

Rt ij fluminē

flumine Ghozan & ciuitatibus Medorum. repetitio enim est scripturarum præcedenti capitulo. Eo quod non audierunt vocem domini Dei sui, & transgressi sunt pactum eius: omnia quæ præcepit Moses seruus domini non audierunt neque fecerunt.

Anno quartodecimo regis Chixci' iahu ascendit Sancherib rex Assur. qui successerat Salman' eser. contra omnes ciuitates Iehuda munitas, & cepit eas. Recole scriptum esse superius in calce capituli quintidecimi quod deus cepit punire regnum Iudæ propter peccata eorum: & perpende prosecutione pænæ exerceri à Deo per Sancherib. non obstare tanta Ezechia bonitate. paulatim enim properabat ad efficiendum etiam regnum Iudæ ex terra promissionis, eiecto iam regno Israel. Misitq; Chixci' ia rex Iehuda ad regem Assur in Lachis dicendo. Lachis est nomen ciuitatis quam obsedit rex Assyriorum, vt in paralipomenis scribitur: & tandem cepit, vt hic narratur dicendo quod ad omnes ciuitates Iudæ munitas ascendit & cepit eas. peccauit in te, rebellando à te. Nec falsum dixit, quauis non peccauerit absolute. humiliat ergo se Ezechias, eligendo minus malum pænæ. recede à me & quod imposueris mihi feram: imposuitq; rex Assur Chixci' ia regi Iehuda trecenta talenta argenti & triginta talenta auri. Deditque Chixci' ia omne argentum quod inuentum est in domo domini, & in thesauris domus regis. In tempore illo confregit Ezechias valuas templi domini & laminas auri quas ipse affixerat. Iuxta Hebræum habetur. In tempore illo decorticauit Chixci' ia valuas templi Iehouah & liminaria quæ vestiuit Chixci' ia rex Iehuda: & dedit ea regi Assur. Non sufficientibus pecuniis tam domus Dei quàm domus regis, excrustauit valuas tēpli & liminaria laminis aureis quibus ipsemet Ezechias eas texerat. Et quoniam Ezechias sanctus proculdubio fuit, si obiicitur factio Ioas, omni exceptione maius est exemplū hoc Ezechia, vt pro redemptione vexationis ab infidelibus liceat exhaustis publicis thesauris ex Ecclesiæ localibus subuenire publicæ libertati Christianorū.

Misit autem rex Assur Thartan & Rabfari & Rabfacer, de Lachis ad regem Chixci' iahu. Recepta pecunia indicta, rex Assyriorum perfidus misit contra Ierusalem exercitum. cuius manu valida. Iuxta Hebræum habetur. in exercitu graui Ierusalem. Non qualiscunque, sed magnus ac fortis exercitus significatur missus cum hic tribus principibus. ascenderuntque & venerunt Ierusalem, & steterunt iuxta aqueductum

piscina.

piscina. Hebræi legunt. in canali cisternæ superioris quæ est in via agri fullonis. sed in idem redit sententia. Vocaueruntque regem: & egressus est ad eos El' iacim filius Chilci' iahu præpositus domus, & Seba scriba, & Ioach filius Asaph à comentariis. Sæpe dictū est hebraicè significari recordatorē quē vulgata editio appellat à commentariis. Dixitque ad eos Rabfacer, dicite quæso ad Chixci' iahu: sic dixit rex magnus rex Assur, quæ est fiducia ista qua niteris? Hebraicè habetur. cui sisus fuisti? resistendo mihi. Forsitan inisti consilium vt præpares te ad prælium. Iuxta Hebræum habetur. Dixisti tantum verbum labiorum, cōsilium & fortitudo ad prælium. De fiducia loquitur Ezechia: & arguit ipsum quod confidit in verbis propriis quibus exhortatus erat populum, & dixerat verbum Elifai, plures sunt nobiscum quàm cum eis: vt in paralipomenis refertur. Nō esse cōfidendum in huiusmodi sermonibus dicit Rabfacer, opprobando Ezechia. dixisti tantum verba labiorū (hoc est verba quæ non habent efficaciam nisi quantū labia pronunciano efficiunt in animis auditorum ad persuadendū) sed ad prælium non sufficit eloquentia verborū, consilio enim & fortitudine opus est ad plium cōsilio directiuo, & fortitudine executiuo. nunc cui confisus es quod rebellasti contra me? An speras in baculo arundineo atque cōfracto Aegypto, super quē si incubuerit homo, comminutus ingreditur manum eius? Heb. habetur. Nunc ecce confisus es tibi super baculum, arundinem fractam istam, super Aegyptū, cui si innitatur quispiā, ingreditur in manū eius & perforabit eā: sic est Parho rex Aegypti omnibus sperantibus in eo. Dixerat opus esse cōsilio & fortitudine ad præliū: prosequitur declarando neutrum inueniri apud Ezechiam inchoando à consilio tū confidendi in Aegypto, tum confidendi in Deo. Et primum quidem confutat assimilando regem Aegypti baculo arundineo semifracto, cui vir innixus manum refert perforatam. Tres conditiones huius baculi electi ad sustentandum euntem describuntur. prima ex materia arundinea, secunda ex aduentitia imbecillitate, quia semifracta hebraicè significatur, tertia quia læsua est manus appositæ super eum: canna enim perforatrix est carnis. Et quia nunquam legitur Ezechiam iuocasse opem ab Aegypto, ideo interrogatiue legenda sunt, nunc ecce confisus es? vel præsupponendo quod Ezechias habeat in animo hoc consilium inuocandi Aegyptios. Quod si dixeritis mihi, in domino Deo nostro habemus si-

Rr iij duciam.

duciam. Hinc apparet quod discurrendo ac inquirendo enumerat cōsilia fiducia Ezechia. *nōne hic est cuius abstulit Chixci iahu excelsa & altaria, & dixit Iehuda & Ierusalaim, ante altare hoc adorabitis in Ierusalaim?* Putauit iste pertinere ad diminutionem diuini cultus (ac per hoc ad iniuriam summi Dei) ablationem excelsorum & altarium in quibus extra altare domus domini sacrificabatur summo Deo. & propterea arguit non esse confidendum in summo Deo, quia Ezechias iniuriatus est illi. Nec dicit hoc credens in Deum, sed arguens ad hominem. *Nunc igitur transite ad dominum meum regē Assyriorū: et dabo vobis duo millia equorū, & videte an habere valeatis ascensores eorum.* Iuxta Heb. habet, *Et nunc fideiube obsecro domino meo regi Assur: & dabo tibi duo millia equorū, si poteris dare tibi equitatores eorum.* Ad Ezechia dirigitur sermo. postquā enim confutauit consilium, confutare intendit fortitudinē. Et primo fortitudinē Iudæorū ppriam, ex eo quod rex Ezechias non habet tantum exercitus vt possit præliari aduersus vnum patuū ducem regis Assur. quod probat per hoc quod fideiussione data accipiat duo millia equorū, nec habebit equitatores eorū. *Et quō potesū resistere ante vnu sarapā de seruis domini mei minimi?* Heb. scribitur. *Et quomodo facies vertere faciem ducis vnus seruorū paruorum domini mei?* Sentētia est clara. *an fiduciam habetis in Aegypto?* Iuxta Hebræū habetur. *& confusus es super Aegyptum propter currus & equites.* Quemadmodum confutauit consilium fidendi Aegypto ex parte regis Aegypti, sic confutat modo fortitudinem Aegypti cōsistentem in curribus & equitibus. *Nunc an absque domino ascendi contra locum istum vt demoliar eum?* Nonine tetragrammaton vtitur iste ethnicus, arguendo (vt prædiximus) ad hominem. ita quod apud præferentes diuinam opem fortitudinē curruum & equitum, vtitur hac ratione quod summi Dei sermone ascendit ad destruendum terram Iudæ. Et dicit hoc ad excludendum subsidium à curribus & equitibus Aegypti. *dominus dixit mihi, ascende contra terram hanc & demolire eam.* Nomen repetit tetragrammaton. An penitus finxerit Rabfaces hæc, an ex relatis verbis Esaiæ propheta hæc dixerit, incertum est. certum est autem quod Esaias propheta (vt scribitur in eius octauo capitulo) prædixit regem Assur instar inundantis aquæ transiurum regnum Iudæ vsque ad collum. quod adimpletum esse per Sancherib patet, ex eo quod

quod cepit omnes ciuitates Iudæ solo capite non submerso: hoc est sola Ierusalem salua. sed iste ethnicus ampliauit sensum propheta.

Dixit autem El iacim filius Chilci iahu & Sebna & Ioach ad Rabfacem: loquere queso ad seruos tuos Syriacē (quia nos intelligimus) & ne loquaris nobiscum Iehudaicē in auribus populi qui est super murum. Dixitque eis Rabfaces: *num ad dominum tuum & ad te misi me dominus meus vt loquerer sermones hos, & non potius ad viros sedentes super murum vt comedant stercora sua, & bibāt vrinam suam vobiscum?* Stetit itaque Rabfaces, & clamauit voce magna Iehudaicē: *& ait, audite verba regis magni regis Assur. Sic dixit rex, non vos seducat Chixci iahu: quia non poterit liberare vos de manu eius. Neque fiduciā tribuat vobis Chixci iahu super dominum dicendo: liberādo liberabit nos dominus, & nō tradetur ciuitas hæc in manum regis Assur.* Non potest occultare infidelitatem suam, volens penitus extinguere in populo fiduciam in summo Deo. *Non audiat Chixci iahu: sic enim dixit rex Assur, facite mecum quod vobis est vtile.* Hebraicē habetur. *facite mecum benedictionem, recipiendo me in dominum pacifice.* *& egredimini ad me, & comedite vnusquisque de vite sua, & vnusquisque de ficu sua, & bibite vnusquisque aquam putei sui.* Donec veniam & tollam vos ad terram sicut terram vestram, terram frumenti & vini, terram panis & vinearum, terram oliuæ olei & mellis: *& visetis & non moriemini: & non audiat Chixci iahu, quia decipiet vos dicendo, dominus liberabit nos.* Ad liberando liberauerunt dii gentium vnusquisque terram suam, de manu regis Assur? *Vbi est deus Chamath & Arpad? vbi est deus Sepharuaim, Henah & Hiu? & an liberauerunt Somecon de manu mea? Qui sunt in omnibus dii terrarum qui liberauerint terram suam de manu mea, quod liberabit dominus Ierusalaim de manu mea?* Manifeste aperit vanam esse fiduciam in summo deo ex impotentia aliorū deorum: vt hinc manifeste intelligamus quod argumenta superiora de destructis altaribus & de mādato summi Dei ad ipsum directo, protulit ad hominem.

Tacuitque populus, & non respondit ei verbum: quia preceptum regis erat dicendo, non respondeatis ei. Veneruntque El iacim filius Chilci iahu prepositus domus & Sebna scriba & Ioach filius A saph à commentariis ad Chixci iahu scissis vestibus: & nunciauerunt ei verba Rabfacis.

CAPVT XIX.

Va cum audisset rex Chizei iahu, scidit vestimenta sua, in execrationem blasphemie audita. & operus est sacco. veste lugentium ac pœnitetium. ingressusque est domum domini, proculdubio ad supplicandum Deo in habitu humili. Et misit El'iaim prepositum domus & Sebnam scribã & seniores sacerdotũ. Nō sat fuit per seipsum supplicare, sed per solenes nuncios adhibet intercessorem Esaiã prophetã. operus sacco. vt etiã humili habitu prouocarent propheram ad cõmiserationẽ, & videntẽ populũ ad pœnitentiã. ad Iesab, iahu prophetã filium Amoz. Qui dixerũt ad eũ: sic dixit Chizei iahu, dies tribulationis & increpationis, & blasphemie dies iste. relative ad nos, dies iste est angustia: relative autem ad Deum respectu nostri est increpationis, relative vero inter ethnicos & Deũ est blasphemie seu irritationis. venerũt enim filij vsque ad partũ, & vires nō habet parturiens. Angustia quam dixerat, manifestat similem angustia parturientis imbecillis ad pariendũ, quam esse angustia maximã testatur sæpe mors cõsequens. Et intendit per hoc Ezechias aduenisse iam tẽpus impatiẽs dilationis diuinæ opis, cũ iam præliatur nō solũ aduersus homines obfessos & imbecilles, sed aduersus summũ Deũ, tam manifeste paruipendendo eũ. Forte audiet. quauis nos nō mereamur, blasphemie tamen Rabfacis meretur vltionem. dominus deus tuus. Nō audet dicere Deus noster, propter multitudinem peccatorum: sed humiliter dicit propheta sancto Deus tuus. omnia verba Rabfacis, quem misit rex Assur dominus eius vt. exprobraret Deum viuẽtem. Hebraicẽ habetur. Elohim viuũ. ad differentiam Elohim ethnicorum qui non viuunt: vt pote aurei, lapidei &c. & argueret verbis qua audiuit dominus Deus tuus: & fac orationem pro residuo quod inuenitur. Venerunt ergo serui regis Chizei iahu ad Iesab iahu. Dixitq; eis Iesab iahu, sic dicitis domino vestro: sic dixit dominus, nolite timere. Hebraicẽ habetur. non timebis. ad Ezechiam dirigitur sermo. a facie sermonũ quos audisti quibus blasphemauerunt pueri regis Assur me. Ecce ego immitam ei spiritum. Inter nũ spiritũ reuelat Deus se daturum regi Assyriorum: hoc est intentũ impulsũ ad redeundũ, hoc enim modo præcipue Deus operatur in hominibus quæ vult. & audiet nunciũ. Iuxta Hebrẽũ habetur. & audiet auditiõẽ. Suavis cõtextus huius prophetiæ

prophetiæ inuitat ad intelligendũ illã de auditione qua audiuit exercitũ suũ vna nocte interiisse, quod inferius dicitur: huic enim sensui quadrat subiuncta reuersio eius in terram suam, subiũctaque occisio eius. & reuertetur in terram suam: & cadere faciam eum gladio in terra sua.

Reuersus est ergo Rabfaces. Primo narratur recessus blasphemie, ad insinuandũ quod perpẽderat difficultatem inuadendi Ierusalem: & ad hoc denunciandũ regi suo iuerat relicto exercitu. & inuenit regem Assur expugnãtem Lobnã. Hebraicẽ habetur. oppugnãtẽ Libnã. ciuitatem in forte Iudæ, audierat enim quod recesserat de Lachũ, ciuitate etiã Iudæ, quã ceperat & iugerat in Libnam. Audiuitq; de Thirhacã rege Chus dicendo, ecce egressus est vt pugnet contra te. Narratur hæc auditio ad insinuãdũ causam occasionis retracti exercitus ab obsidione Ierusalem. audiẽs enim gegẽ Aethiopiæ venientẽ contra se, vniuit exercitum suũ quem diuiserat: partem mittẽdo cõtra Ierusalem, & parte vtẽdo ad expugnãdas ciuitates Iudæ. & iussit cõtra eũ. Iuxta Heb. habetur. & reuersus est, & misit nuncios ad Chizei iahu dicẽdo. Nihil dicitur de itinere eius contra regem Aethiopiæ: sed scribitur quod reuersus est ad terrendũ Ezechia epistolis, qui primo terruerat eũdem verbis Rabfacis & exercitu: retrahẽdo siquidẽ obsidionẽ, mittit epistolas ne cõfidat in Deo vidẽdo hæc retractionẽ quia reuertetur aduersus Ierusalẽ. Sic dicitis ad Chizei iahu regẽ Ichudæ: non te seducat Deus tuus. Solita sunt nomina, Eloha tuus. in quo tu habes fiducia dicendo, nō tradetur Ierusalaim in manũ regis Assur. Ecce tu audisti qua fecerũt reges Assur omnibus terris vastãdo eas: & tu liberaberis? An liberauerunt dũ gentiũ eos quos delcuerunt patres mei: Goxan & Haran, & Reseph, & filios Heden qui erant in Thelasar? Vbi est rex Chamath, & rex Arpad, et rex ciuitatis Sephar uaim, Henah & Hiu'ne?

Tulit autem Chizei iahu literas de manu nũciorum & legit eas: ascenditque in domum domini, & expãdit eas coram domino. Iuge hæc cum antedictis: & perpendes tum literas tum verba nũciorum plena huiusmodi blasphemie. Orãtisque Chizei iahu coram domino & dixit: domine Deus Israel sedens super cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ. tu fecisti calum & terram. Inclina domine aurem tuam & audi, aperi domine oculos tuos & vide. Humano more Deũ alloquitur: in quo non sunt huiusmodi corporalia mẽbra auriũ & oculorũ, sed eminentius est